




01
9 771661 375004

1/2006

IDIBVS IANVARIIS

MMVI



RUMOR VARIVS



TOMVS 28

FASC. 157

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA,
in ædibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA
est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Pretium subnotationis (annum):

In Helvetia CHF 30.-

In ceteris terris CHF 37.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Estelle (Stella) Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus
publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum
editoriam: RVMOR VARIVS,
C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium — Bankverbindung/institut bancaire:

Banque Cantonale de Genève, Quai de l'Île 17 — C. p. 2251 — 1211 Genève 2

Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,

Compte Z 3281.88.11

IBAN: CH18 0078 8000 Z328 1881 1 SWIFT: BCGECHGXXX

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement
(jährlich/annual)

Schweiz/Suisse CHF 30.-

Ausland/Etranger CHF 37.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:

Estelle Gitta

Druck/Impression: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS,
c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch
www.aeschlicity.ch/rumor_varius



PRAEFATIO

Amicae et amici nostri!

Saepe temporibus praeteritis praefationem RUMORIS VARII scribens explicare coactus eram, quibus de causis libellus quidam vel complures libelli magna cum mora editus essent. Hoc anno autem libellus 5+6/2005 revera mense Decembri ipsius anni, ut debuit, apparuit. Et hunc quoque libellum 1/2006 anno novo ineunte accipitis, quod magno gaudio me afficit. Speramus id etiam sequentibus mensibus vel annis factum iri. Sed quia dei et fortuna multos casus improvisos nobis praebere solent, videbimus, quae tempora futura afferant.

Inter multa, quae hoc anno agentur, imprimis duo eventus artem athleticam amantibus gaudio erunt: Mense Februario ludi Olympici hiberni Augustae Taurinorum in Italia edentur. Eis, qui montibus nivalibus vel glaciebus campos virides praeferunt, non diu exspectandum erit: Mense Junio in Germania certatio mundana pedifollis incipiet.

Ita alii occasione athleticam hibernam agendi utuntur, alii, qui talia et frigorem hibernum minus amant, iam de primavera, de aestate et calore, de regionibus meridianis somniare possunt. Iam bruma praeterita in dies spatium lucis augetur sole prius oriente et tardius occidente.

Interea, ad animos delectandos ecce nonnulla narratiacula parva ex regione Orientali:



Sultano Mahmud, cum esuriret aliquando, cibus melongenarum (melongena,-ae: Aubergine) oblatus est. Qui optime sapiit, et sultanus dixit: "Melongenae aliquid bonum sunt." Tum aulicus quidam versus ad melongenas laudandas composit. Aliquantulum post cum sultanus eo cibo satiatus esset, dixit: "Melongenae aliquid nocens sunt." Et aulicus versibus variis vim nociam melongenarum descriptis. Deinde sultanus "Heus, homo mutabilis", ait, "nonne melongenas modo laudavisti?" - "Ita est", aulicus respondit, ", sed tuus, non melongenarum aulicus sum, et dicere me oportet, quae tibi placent, non quae melongenis."

Al-Haddschadsch praeceptor filiorum suorum dixit: "Eos natare doce, antequam eos scribere doces; nam aliquem invenire possunt, qui pro eis scribit, neminem autem, qui pro eis natat."

Aliquis dixit: "Oculorum doloribus vexor, quibus corani versibus et precibus mederi tempto." Tum alius: "Forsitan praeterea etiam unguentum oculorum adhibere debeas."

Mulier quaedam aliquando amatorem habuit. Qui ei dicit: "Nisi dolum excogitas, quo marito tuo praesente tecum concubere possim, numquam tecum loquar." Mulier ei pollicita est se facturam, quae volebat, et ille cum ea diem certam constituit.


In horto illius mulieris alta palma erat, et mulier dixit marito: "Hanc palmam ascendere velim, ut palmae pomas carpam." - "Fac id", maritus respondit. Mulier, cum in palmae cacumen advenisset, ad coniugem despexit et clamavit: "O hircus moechus!

Quis est femina, quae ibi tecum est? Vae tibi! Nonne te pudet cum ea concubere me praesente?"

Et coepit ei maledicere et clamare, cum maritus ius iurandum faceret se omnino solum et neminem secum esse. Tandem mulier de palma descendit et cum marito rixari coepit, dum ille iurat se divertium cum ea facere velle, si modo non solus fuisse. Tum ei dixit: "Hic conside, et equidem arborem ascendam." Postquam cacumen palmae assecutus est, mulier amatorem arcessit, qui cum ea concumberet. Maritus de arbore despexit, et cum duos concubentes vidit, ad uxorem dixit: "Carissima! Non est tua culpa, quod mihi opprobria dixisti. Nam quisque, qui hanc palmam ascendit, idem ac tu videt."

Diabolus interrogatus, quales homines maxime amaret, dixit: "Parrios." (Pararius,-i: Makler). Cum causas ex eo quaererent, respondit: "Eos mentiri iam mihi placet; praeterea peiuria faciunt."

Aliquando Abu Nuwas conspectus est poculum vini manu tenens. Ad dexteram eius nonnullae uvae iacebant, ad sinistram catillus acinarum (acina,-ae Rosine); et cum haustum ex poculo faciebat, unam uvam et unam acinam comedit. Interrogatus, quae id significaret, respondit: "Id



est pater, filius et spiritus sanctus."

Vir quidam ad chalifam Chalid ibn Abdallah venit et dixit: "Habeo, quod a te petam. Utrum animo desperationis an modestia spei loquar?" - "Potius modestia spei", Chalid respondit. Tum ille modeste petivit, quod cuperet, et chalifa id ei concessit.

Aliquis dixit se prophetam esse. Interrogatus, quae essent indicia artis propheticæ eius, respondit: "Cogitationes vestras cognoscere possum." - "Et quae sunt cogitationes nostras?" - "Putatis me hominem mendacem, non prophetam esse."

Ergo hieme fruamini vel de vere et aestate iam nunc somnietis!

Valete!

D. W.



Quomodo compositis sideribus orientur

Generaliter: annus MMVI laetissimus et prosperrimus tibi erit, si ponderatione tua in omnibus rebus uteris. Sapienter pro et contra perpende. Fortuna tua in medio stat.

Memento autem: astra non mentiuntur, sed astrologi bene mentiuntur de astris.



ARIES XXI mart. - XX apr.

Valetudo: noli saltare ut capreolus, parce cordi tuo.

Negotia: agitatio tua perpetua ad nihil te ducet.

Pectus: nihil obstat. Noli caput semper demittere!

TAVRVS XXI apr. - XX mai

Valetudo: post cenam non stare sed mille passus meare.

Naturam expelles furca, tamen usque recurret.

Negotia: excute iugum quod te opprimit.

Audaces fortuna iuvat.

Pectus: Noli solus ruminare. Ut ameris, amabilis esto.





GEMINI XXI mai. - XXI iun.

Valetudo: similia similibus curantur.

Negotia: bis repetita placent.. Merces mox geminabitur.

Pectus: amantes sunt amentes. Solitudo interdum bona est.

CANCER XXII iun. - XXII iul.

Valetudo: dum spiras, spera! Medicus curat, natura sanat.

Negotia: non dubitandum est. Occasio opportuna tibi praebetur.

Pectus: donex eris felix, multos numerabis amicos.



LEO XXIII iul. - XXIII aug.

Valetudo: non ut edas vivis, sed ut vivas edis.

Ut sis nocte levis, sit cena brevis.



Negotia: auri sacra fames.

Pectus: de gustibus et coloribus non disputandum.

VIRGO XXIV aug. - XXII sept.



Valetudo: cave ne cadas.

Negotia: desinit in piscem.

Pectus: Vae soli! Melius est nubere quam uri.



LIBRA XXIII sept. - XXIII oct.

Valetudo: paulum ponderationis. Est modus in rebus.

Optimum medicamentum quies est.

Negotia: inter utrumque tene, medio tutissimus ibis.

Pectus: in medio stat virtus.



SCORPIO XXIV oct. - XXII nov.

Valetudo: Quod medicina aliis, aliis est acre venenum.

Bona cura tibi taxica solvet.

Negotia: quidquid agis, prudenter agas, et respice finem!

Pectus: in cauda venenum.



SAGITTARIVS XXIII nov. - XXI dec.

Valetudo: nimis tensus es. Bonum vinum laetificat cor.

Negotia: latet anguis in herbas. Auribus tenes lupum.

Pectus: pendent opera interrupta.

CAPRICORNVS XXII dec. - XX ian.

Valetudo: fluctuat nec mergitur.

Negotia: ex nihilo nihil.

Pectus: cedant arma togae.



AQVARIVS XXI ian. - XIX febr.

Valetudo: in aquam paulum vini infude.

Negotia: post te diluvium!

Pectus: nihil prodest flere! Amor caecus est.




PISCES XX febr. - XX mart.

Valetudo: mens sana in corpore sano.

Negotia: noli inter duas aquas natare.

Pectus: ignoti nulla cupido.



Horoscopavit
Stella Gitta

Aenigmata divina (I et II) Solutiones (RV 5+6/05)

I

1. Isis
2. Eos
3. Cupido

II

- Di-ana
- Par-is
- Pan-dora

Stella Gitta

Proverbia Hispanica



La casa sin fuego ni llama, semeja al cuerpo sin alma.

Casa sine igni flammaque similis est corpori sine anima.

*

A la burla, dejarla cuando más agrada.

Ludibrio habere desiste, cum nimis augetur.

*

El amor entra con cantos y sale con llantos.

Amor cantibus intrat et fletu exit.

*

Como canta el abad, responde el sacristán.

Ut abbas cantat, ita aedituus respondet.

*

Di la razón y no digas el autor.

Dic causam et noli dicere auctorem.

*

En cada legua hay un pedazo de mal camino.

In omni via pars est, qua male itur.

*

Ama, perdona y olvida. Hoy te lo dice tu amiga, mañana te lo dirá la vida.

Ama, ignosce et obliscere. Hodie amica
tua haec tibi dicit, cras vita tibi dicet.

La felicidad no es una estación a la que se llega, sino una manera de viajar.



Felicitas non est stationem, in quam advenitur, sed iter faciendi modus.

*

Canta la rana, y baila el sapo, y tañe la vigüela el lagarto.

Rana cantat et bufo saltat et lacerta cithara canit.

*

Comer poco y beber menos, a luxuria pone freno.

Edere pauca et bibere minora luxuriae frenum imponit.

*

Me lo ha dicho un pajarito.

Dixit mihi avicula.

*

Yerro de amor dignos son de perdón.

Errores amoris ignosci debent.

*

No hay rosa sin espinas.

Rosa sine spina non existit.

*

Quien mucho se baja, el culo enseña.

Ille, qui multum se demittit, culum monstrat.

*

El corazón no hable, mas adivina.

Cor non loquitur, sed divinat.

*

Al toro y al loco, de lejos.

A tauru et ab insano procul absis!





Lo que poco vale, no tiene mucho valor.
Ea, quae parvi constant, non magni pretii sunt.

*

La esperanza es lo último que se pierde.
Spes ultima amittitur.

*

Tres cosas cambian la naturaleza del hombre: la mujer, el estudio y el vino.
Tres causae naturam viri mutant: Mulier, studium vinumque.

*

Los más cuerdos hacen mayores yerros.
Homines prudentissimi maiores errores committunt.

*

La mujer y la sardina, cuanto más pequeña más fina.
Et mulier et sardina, quo minor eo magis tenuis.

*

A grandes malos, grandes remedios.
Remedia magna grandibus malis.



El que roba a un ladrón tiene cien años de perdón.
Latronem qui despoliat, centum annos veniam accipit.

*

El que no oye consejo no llega a viejo.

Ille, qui consilio aures non praebet, senex non fit.

*

Piensa el ladrón que todos son de su condición.

Latro putat omnes suae condicionis esse.

*

A enemigo que huye, puente de plata.

Inimico fugienti pontem argenteum.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

De Pythagorae vita (I)




Consentiens equidem ea plurimorum est opinio, Pythagoram Mnesarchi filium fuisse; at de Mnesarchi genere non omnibus convenit. Nonnulli enim Samium eum fuisse affirmant. Cleanthes vero libro V rerum fabulosarum Syrum fuisse prodidit, ex Tyro Syriae urbe. Sed fame magna exorta in Samo Mnesarchum mercature causa appulisse ad insulam et premii loco civitate donatum fuisse. Pythagoram autem, cui a pueris ingenium ad omnes disciplinas aptissimum inerat, Tyrum postea a Mnesarcho fuisse abductum et Chaldaeis ibidem commendatum, quorum doctrina eum imbu in primis cupiebat. Reversum autem inde in Ioniam Pythagoram prius Pherecydi Syrio sese adiunxisse; deinceps Hermodamanti Creophylio, qui senex in Samotum degebat. Nec tamen deesse scribit Cleanthes, qui patrem eius Tyrrenum affirment, ex illorum genere, qui Lemnum incolebant cumque negotiorum causa inde in Samum venisset, permansisse istic civemque factum fuisse. Mnesarcho autem in Italiam navigante Pythagoram admodum adolescentulum una cum ipso eodem profectum; cumque opibus ea terra maxime floreret, ipsum deinceps navi eam repetiisse. Recenset praeterea duos ipsius fratres, Eunostum et Tyrrenum, natu maiores.

Apollonius autem libro de vita Pythagorae matrem quoque eius prodidit Pythaudem, quae ab Aricaeo Sami conditore genus ducebat. Quin et idem Apollonius affirmat nonnullos eum reipsa Apollinis et Pythaidis, verbo autem Mnesarchi filium prodidisse.



Caeterum Eudoxus, libro VII de situ orbis, tanta puritate Pythagoram usum scribit, adeoque, ab omni caede atque mactantibus abhorruisse, ut non tantum animatis abstinuerit, sed nec coquis nec venatoribus unquam appropinquarit. Antiphon autem libro de vita virorum






cerdotes accepisse ab Heliopolitis autem, in quos primum inciderat, Memphin tanquam ad seniores fuisse ablegatum atque id vere Heliopolitas praetendisse. Memphi eodem praetextu dimissum ad Diospolitas accessisse, illos vero cum metu regis causam nullam obtendere possent, existimasse ipsum laboris et aerumnarum magnitudine a proposito recessurum, ideoque dura admodum et a Graecorum religione prorsus aliena iniunxisse. At illum, cum promptissime ea exequeretur, usque adeo admirationi ipsis fuisse, ut et sacrificare et studiis illorum interesse ei liceret, quod nulli unquam extero homini contigisse reperitur. Reversum autem in Ioniam, Iudum in patria aperuisse, quem Pythagorae hemicyclum nunc quoque appellant, ubi Samii de publicis rebus consulturi congregantur, antrum quoque proprium extra urbem philosophiae suae constituisse et in illo ut plurimum noctes diesque versatum fuisse et amicorum colloquiis vacasse.

Aristoxenus refert eum, cum iam annos quadraginta natus esset et Polycratis tyrannidem vehementiorem cerneret, quam ut sibi ingenuo homini imperium dominatumque illius ferre liceret, hac occasione in Italiam discessisse.

Ast ubi ad Italiam accedens Crotonem devenit, ait Dicaearchus, quasi adventante viro plurimarum regionum peragratione claro et eximio atque peculiari naturae beneficio fortunam prosperrimam ducem



virtute illustrium eximiam eius tolerantiam in Aegypto commemorat, dum ait, Pythagoram Aegyptiorum sacerdotum instituta suscepturum, cum omni studio id ageret, qui eorum particeps fieret, rogasse Polycratem, Tyrannum, ut Amasi Aegyptiorum regi amico atque hospiti scriberet, ut ad doctrinam sacerdotum, quos diximus, admitteretur. Verum, cum ad Amasim pervenisset, litteras ab ipso ad sa-



nacto, (quod et facie esset liberali, et statura procera, gratiaeque plurimum et decoris cum in moribus, tum ceteris corporis gestibus inesset) ita Crotoniatarum civitas asecta fuit, ut postquam seniorum, ex quibus urbis illius magistratus constabat, animos coepisset, habita longa et praecolla quadam apud adolescentulos dissertatione, rursus iussu magistratus adhortationes ad iuuentutem instituerit, postea ad pueros certatim e ludis litterariis ad ipsum confluentes, tandem etiam ad feminas; nam et muliebris caetus eius gratia cogebatur. Hoc facto magna de eo fama percrebuit, multosque nactus est auditores; partim ex ea civitate non viros solum, sed et feminas; ex quibus unius Theanus nomen maxime illustre est: partim ex vicina barbarorum regione quinimo reges ipsos atque magnates. Caeterum quid auditoribus suis tradiderit, nemo

certo affirmare potest; magnum enim et accuratum inter eos servabatur silentium. Sed haec apud omnes perulgata sunt: primo quidem, quod animam immortales esse affirmaverit, deinde diversa eam animantium genera subire ad haec, post certos temporum circuitus idem, quod olim fuerat, rursus fieri et nihil omnino novum existere et animata omnia cognata inter se eiusdemque generis existimanda esse; primus enim omnium Pythagoras haec dogmata in Graeciam intulisse videtur.

Rettulit Estelle Gitta

NUGELLA PRO NOVO ANNO

Auream sparsi lapides ut in arcula ab alto
Ecce annus properat proximus, itque prior.
Te minuere, minus sociorumve annumerare
Ne timeas: currunt tempora, durat Amor.

Margherita Tramontano





Hymnus Latinus Europae



Est Europa nunc unita
et unita maneat;
una in diversitate
pacem mundi augeat.
*

Semper regant in Europa
fides et iustitia
et libertas populorum
in maiore patria.
*

Cives, floreat Europa,
opus magnum vocat vos.
Stellae signa sunt in caelo
aureae, quae iungant nos.

Melodia: Ludovicus van Beethoven, Symphonia IX

Carmen: Peter Roland

www.hymnus-europae.at/CDInfo/



Nationum Europae sententiae et proverbia



Polonia

Spe parce, sed diu vivitur.

*

Omnis manus, quae dat, pulchra est.

*

Faber malus semper de instrumentis suis queritur.

*

Ille homo, qui ab omnibus probatus est, mortuus est
antequam nasceretur.



Hungaria



Francogallia



Russia

Aqua et populus retineri non possunt..

Lacrimis inopia non depellitur.

*

Ei, qui legere et scribere scit, quattuor oculi sunt.



Francogallia

Amoris facula in culina accenditur.

Galli duo in uno sterculinio alias ab alio abhorret.



Russia

*

Ursus est pontifex in silva.

*

Equus saepe sapientior est quam eques.

*



Finnia

Lauda tempestatem vesperi et filium, cum crines canus est!

*

Asinus contentus diu vivit.

*

loci, qui dolent, non sunt loci.



Italia



Albania



Germania




Germania



Lusitania

Legem ne rumpas neve facias.



Italia

*

Ille, qui dicere potest, quantum amet, paulum amat.

*

Sapientiae pater est memoria, eius mater ratio.



Francogallia

*

Amoris epistulae primae sunt oculi.

Latine tradidit Daniel Weissmann



Hibernia



Vallia

Terra potens opibus, tum divitis ubere glebae,
Argentoque, auroque, et fulvi mole metalli,
Regna quater septena suo complectitur orbe,
Quorum summa tenet moderamina maxima Roma,
Roma animos quondam fundens ad sidera celsa,
Nunc Reges divosque ferens, Divorumque ministros,
Sacra quibus mandata Deorum sunt templa tueri,
Et populi errantis passini invigilare saluti.

Indidit huic proprium regioni cœrula nomen
Tergore vecta Iovis medias Europa per undas.

Germanos claudit Boreas, Pars altera semper
Tyrrheni tumidis torquetur ab æquoris undis,
Hesperiae genitit umido sub vertice Calpes.


Tertia pars Tanai glaciali occluditur, atque
Euxino Ponto, longisque Propontidos undis.
Ipsa sed occiduo quae littora sole tepescunt
Oceani clauduntur aquis, atque ultima Thule.



Europa

Victoris populi, terrarumque optima nutrix
Europe, tua si virtus, si gloria fulgens,
Si fortes animi, magnisque laboribus apti,
Si promptum pectus, sed iniquo sidere natum,
Cessisset patriis pellendis hostibus armis:
Non tua sic avidus laceraret viscera miles,
Passa nec ipsa fores urgeri hostilibus armis:
Fortia non tua sic latrantibus undique bellis
Oppida concuteret violentis machina flammis.

Sed non consuetis potuit natura fugari
Sedibus, irrumpunt in mutua vulnera cives,
Ipsaque dum propriis sorte, et contenta tuisque
Rebus eras, fueras nulli expugnabilis armis.
Vel postquam ulterius placuit diffundere vires,
Non Afri, non Aethiopes, non decolor Indus,
Unquam victrici potuere resistere dextrae.



Hoc excerptum e libro, cui titulus est Theatri orbis terrarum enchyridion, minoribus tabulis per Philippum Gallaeum exaratum et carmine heroico, ex variis geographis et poetis collecto, per Hugonem Favolium illustratum, anno 1585 editum, vobis proposuit Stella Gitta

NUM SINT VERE CREDENTES FANATICI

Dilucide et aperte Daniel noster in RVMORIS VARII editione quinta et sexta anni praeteriti de variis religionibus disseruit atque attulit parabolam illam celeberrimam a Gottholdo Ephraïmo Lessing (vivo ab anno 1729° usque ad annum 1781um) compositam, cui nomen *Parabola anulorum*. Qua fabula nullam religionem solam veram esse affirmatur, sed unamquamque partem tantum veritatis continere. Unde fieri, ut nemo se recte ac iure credere dicat et ii, qui hoc tamen dicant, nebulones sint atque fanatici.



Non mirum est talem opinionem saeculo duodecimo in usum venisse, nam illius saeculi philosophi plurimi se illuminatos esse putantes religionem quamlibet spernebant, quod differentiam inter religionem et superstitionem non videbant.

Confidere deo nescio quo invisibili stultitiae esse rati Voltarium (Franciscum Mariam Arouet vivum ab anno 1694° usque ad annum 1778um) illum sequebantur, qui Catoni censori Romano similiter omni occasione data "Ceterum censeo ecclesiam esse delendam" dixisse et scripsisse fertur. Religionem enim, quam rem neque probatam neque probabilem esse arbitrabantur, menti humanae omnino inimicam habebant eamque non ulla alia causa esse inventam dicebant ac ut homines inscientia retenti commode regerentur et supprimerentur. Nam qui paradisum caeleste exspectaret, malas mutare condiciones terrestres minus cupere arguebant. His cognitis ne miremur illos maxime diffisos esse eis, qui religionem tamen firme et fortiter sequebantur. Quos fanaticos appalabant, quia contra claram cognitionem et distinctam religionem quandam ceteris praferrent.

Profecto Christiani, ut exemplo utar, semper suam religionem veram esse affirmabant, quod revelata esset a Deo ipso per Iesum Christum filium. Qui Iesus Quirinio proconsule Syriae in oppido parvo nomine Bethlehem esse natum, triginta fere annos quiete et ignote vixisse, tum omni populo praedicasse regnum caelorum adesse, multos aegros sanavisse, immo mortuos in vitam revocasse, denique a populo praefectis accusa-

tum et capitis damnatum esse, quod caritatem et misericordiam immo in inimicos et peccatores adhibendam esse docuisse, Pontio Pilato procuratore Romano esse crucifixum, tertia autem die resurrexisse suisque apostolis apparuisse eisque praescripsisse, ut omnes homines discipulos suos facerent, dicens aeterne vivere illos, qui in se crederent, quia ipse esset via et veritas et vita.

Qui talia affirmat, aut homo insanissimus est aut vere filius Dei! Qui talia credit, aut fatuus est aut beatissimus omnium! Sic et sanctus Paulus apostolus de Christianis et fide Christiana arguit: "*Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra. (...) Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*" (ex epistula prima ad Corinthios 15, 17;19). Unde cognoscendum est: Nemo "semichristianus" esse potest, nemo Christianam fidem partim veram et partim falsam esse dicere potest, nam aut vera aut falsa est. Si Christus vere filius Dei est, vera sunt, quaecumque dixit et credenda praescripsit. Si non filius Dei est, verba eius neglegenda sunt, nam tunc Iesus Nazarenus non Christus erat, sed vates quidam paululum perturbatus.


Se vero filium Dei esse Iesus non modo dicebat, sed multis testimoniiis probabat, probat, probabit. Illo tempore, quo inter homines incedebat, multa miracula ab eo facta sunt. Sed etiam postea, cum iam resurrexisset et in caelum ascendisset, usque in dies nostros semper semperque hominibus in eum fidentibus miracula facta sunt vix credibia, sed bene et more infallibili demonstrata. Quis ignoret e.g. Nicolaum illum



Rupensem (vivum inter annos 1417um et 1487um) virum Helvetum et patrem patriae, qui per viginti annos nullis cibis sumptis vivebat sancta eucharistia tantum nutritus? Cui ignotus est sanctus Franciscus Assisiensis (vivus ab anno 1181° usque ad annum 1226um), qui aviculis ceterisque animalibus praedicare solebat atque ab illis intellegebatur? Quis non stupet ob Bernhardinae Soubirous (viventis inter annos 1844um et 1879um), puellae illius pauperrimae, cui anno 1858° sancta Maria virgo et Deipara apparuit, corpus adhuc incor-



ruptum? Quis non admiratur virtutem Maximiliani Kolbe sacerdotis (vivi ab anno 1894° ad annum 1941um), qui, ut pater familias quidam viveret, semetipsum morti crudelissimae tradidit? Haec paucissima tantum sunt exempla, quibus multa milia adiungi possunt. Semper semperque Iesus Christus suis fidelibus auxilio veniebat.



Sic Christiani veri non dicere valent ipsorum religionem plus minusve eandem esse ac ceteras. Forum enim religio non est theoria tantum dogmatica, sed est vera amicitia inter Deum eosque. Christiani non disserunt de Deo, sed cum Deo vivunt. Cottidie conantur eo more vivere et agere, qui eis praescriptus est a Iesu Christo. Saepe sic vivendo cadunt, sed sciunt Christum sibi veniam daturum, si paenitentiam agant. Gaudii pleni tanta gratia et ceteros homines frui volunt. Suntne ideo fanatici? Non sunt. Fanatici essent, si vi et armis ceteros homines ad fidem Christianam assumendam cogere vellent. Talia incepta perniciosa interdum facta sunt, sed hodie omnes Christiani sciunt conversionem coactam nil valere.



Redeuntes ad Gottholdi Ephraimi Lessing parabolam anulorum ne obliscamur patrem illa fabula agentem unum tantum anulum verum primo fecisse, deinde imitationes creari iussisse, ne filii se mortuo maesti essent. Poëtam ipsum ergo non fugit unam tantum religionem veram esse, ceteras autem vel imitationes vel phantasmata. Ecclesia catholica non negat multa in religionibus ceteris inesse vera, pulchra, divina, imitanda, sed, ut ait per concilium Vaticanum alterum, totam veritatem se dicit manifestasse in ecclesia catholica, quippe quae condita et creata esset a Iesu Christo ipso. Sic homines extra ecclesiam illam catholicam viventes servari et vitae aeternae participes fieri posse, sed non, quia extra vivant, sed quamquam extra vivant. Salutem omnium enim non nisi per Christum venire et assumi posse.

Ioannes Paulus papa secundus anno praeterito mortuus Assisium convocaverat omnium religionum duces, ut secum communiter preces fundarent pro pace mundana assequenda. Tum ab aliquot catholicis severis-

rent pro pace mundana assequenda. Tum ab aliquot catholicis severis-simis vituperatus est, cum putarent papam veritatem catholicam unicam negare et spernere. Sed papa nullo modo fidem catholicam unam veram esse negavit, at demonstrare voluit pacem omnibus hominibus bonae voluntatis cordi esse debere. Sic tolerantiae sincerae exemplum attulit: Religionem suam amare et maximi aestimare, ceteras autem non spernere.

Martinus Meier

LUDICRA CAELICOLUM OBLECTAMENTA Pars altera

Scaena prima: apud Publiae aedes

VALERIUS: ... Nonne fortuna consilium vice mea cepisse benigna videtur? Bono sis, Valeri, animo: si iniucunda tibi contigerit Publia coniunx, nihil impediet quin furtivo adulterinoque commercio cum Lucilla belle consuescas! Ceterum, qua in civitate Messalina, principis regnantis uxor, immundi lupanaris limen ingredi non dubitavit, paelicis in ea amplexum privatus homo deditigabitur?

Embolium caeleste

PLUTUS: Aequo certamine discessuri, amice, videamus: utriusque nostrum potentiam pari reverentia iuvencus iste colit.
CUPIDO: Esto: malim equidem neuter triumphet, potius quam ipse vincar!
IUNO: Qui contentionis futurus sit exitus, patienter, mecastor, exspectate! An quo ipsarum animi puellarum inclinent, id non flocci habendum esse arbitramini?

VALERIUS: (*in Publiae tandem conspectum veniens*) Ne salvus sim, si ali- ter ac sentio loquor...

PUBLIA: Cave, queso, ex inexhausta, qua polles, mendaciorum vena ridicula expromas sacramenta, quorum poenam neglectorum ea una di de causa exigere supersedent, quod ioci gratia effutta esse illa non ignorant...

VALERIUS: Mirum est, quantum parentis comitas a gnatae asperitate discrepet! Qua est enim erga me semper benignitate, pater tuus mihi modo significavit nihil per ipsum obstare, quin proximo quoque tempore matrimoniali vinculo iungamur. Quod erat in utriusque votis!

PUBLIA: Nonne tibi forte in mentem venit meo opus esse consensu?

VALERIUS: Numquam vero dubitavi quin libentissime Publia nuptura esset Valerio!

PUBLIA: Quia speciosis dotibus tuis meritisque commenticiis nimium confidis...

VALERIUS: Mos est Romae ut saceris imprimis placere futuri debeant generi...

PUBLIA: De isto arguento cum patre meo iam satis disputavi: nihil causae est cur ille, letifero iam iamque carcinomate moriturus, me vitae meae dominam atque arbitram esse prohibeat.

VALERIUS: Quibus, cedo, de causis condiciones meas aspernatura es?

PUBLIA: Quia pecuniae meae cupiditate, non mei ipsius amore, tute flagras.

VALERIUS: Quanam temeritate in alienas penetrare cogitationes audes? Num qui tibi deus concessit ut, fatidicae vatis ritu, quae in imo pectore sentirem translucido tamquam speculo repercussa inspiceres?

PUBLIA: Putidis translationibus omissis, de veracibus loquamur vitreis, quibus foeda et inamoena imago mea reverberaretur nolle...

VALERIUS: Inter omnes constat malam esse istam puellis consuetudinem communem, ut corporis quaeque sui formam, quo maioribus laudibus extollatur, ficta modestia detrectent.

PUBLIA: Esto; sinceritatem tuam illico experiamur: uxorem me duc, sed indotatam!

Orestes Carbonero

Pars tertia in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)



Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum:

Unterschrift:

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS ECLECTICA
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex

PP/Journal


1218 Le Grand-Saconnex



1/2006

IDIBVS IANVARIIS

MMVI



TOMVS 28

FASC. 157